UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.|| An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Tertia Conclusio. Futura, quæ habent caussam necessariò determinatam & infallibilem, ad eorum esse producendum, Dæmones naturali cognitione cognoscere possunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

Visual Library

prædixit proprius magiſterulus. Cui mulier reſpondit: Miſerabilis Dæmon, huius rei tu cauſſam dediſti. Iterum Dæmon: Tibi facio, ſicut tui ſimilibus.

Tertia Concluſio. *Futura, quæ habent cauſſam neceſſariò determinatam & infallibilem, ad eorum eſſe producendum, Dæmones naturali cognitione cognoſcere poſſunt.*

HAEC Concluſio conſtat ex d. cap. Sciendum: & communi ſententia Doctorum: & Ratio eſt: Huiuſmodi futura habent eſſe in ſuis cauſſis neceſſariò determinatis, quod quidem eſſe cùm ſit determinatum, infallibile & neceſſarium, certò poteſt cognoſci. Quia Philoſophiæ eſt pronunciatum: Sicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci. Sic multò certius quocunque Aſtrologo eclipſes, & planetarum coniunctiones prædicere Dæmones poſſunt. Quia rectius cauſſas talium effectuum cognoſcunt.

Quarta Concluſio. *Futura, quæ habent cauſſam, vt plurimum determinatam, ſed fallibilem, cognoſcuntur certa quadam coniecturali cognitione, ſed non infallibili, à Dæmonibus.*